

## X

iumentum habebat facilitatis, mansuetudinis, et comitatis, praesertim misero illo tempore, in quod inciderat Consulatus eius; quo vix aliud magis valebat ad minuendum miseris sensum calamitatum et vexationum, cum ipsas minuere ac tollere non liceret, quam Magistratus, velut Communis Parentis, lenitas et comitas. Facilis ad eum aditus erat: non minor facilitas audiendi et lenitas respondendi. Itaque homines ab eo sic discedebant, ut saltem solatii quid auferrent, cum aut negasset aliquid, aut spem adferre non potuisset.

Neque alio magis vel vinculo continebat in officio, quibus praecerat, vel stimulo ad officium faciendum incitabat, quam humanitatis et comitatis. Tota Scholae Thomanae felix curatio in hac vim omnem habebat. Et ea augebatur et alebatur amore in eam rei publicae partem, cuius curam susceperat. Nec is amor erat in verbis, aut inani et ignava delectatione ex eius rei bonis, sed efficax in agendo, consulendo, deprecando, denique etiam liberalitate: qualem amorem praestitit Scholae Thomanae. Nam, ut alia mittamus, bello proximo, impeditis redditibus, per quos conuictus illius publicus sustineretur, Ipse sua pecunia diu coetum scholasticorum aluit, nec in illis angustiis pecuniariis restitutionem eius pecuniae postulavit. Ipso autem interea mortuo, Filia, cum nosset animum Parentis in eam Scholam, audissetque aliquando e viuo de legati Scholae illi scribendi consilio, et pietate in Parentem tam bonum, et sua ipsius benignitate mota, totam summam, erant autem ad duo millia probae pecuniae, Scholae remisit et condonavit.

Sed illa tanta facilitas et lenitas non erat mollis ac sine nervis et robore animi, quod a vera et constante sapientis humanitate nunquam abest, saepissime ab seueritatis et grauitatis asperitate; quae magis ferocia naturali temere, cum nihil periculi subest, efferuescit, quam constanter et cum periculi contemptu mouetur. Id praeclare intellectum est in Consulatu: ita ab eo et susceptus, et gestus, et depositus est. Nam primum, cum ad eum magistratus ille esset delatus, nullam aliam eum ob causam recepit, quam ne defugere pericula videretur, aut subtraheret se rei publicae, cui prodesse eum

Consu-